



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XXXVIII. Ad quendam discipulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

EPISTOLA XXXVIII.

Ad quendam discipulum.

Dilectionis vestræ literas grata suscepi dextera, & lecto legebam animo, intelligens in eis, vestræ prosperitatem, & literalis exercitij studium, ex quodictantis eloquentia claruit. Hoc mihi maximum esse gratum constat, ut filios florere videam, in conuersationis puritate, & profectus diligentia. Iste est ornatus, quem optavi meis. Istæ sunt deliciae, quibus illos desideravi frui. Istæ sunt munditia, quam concupiui in illis. Hæ sunt epulæ, in quibus illos iocundari amaui. His etiam animi reficitur eluriens, & sitiens iustitiam. Hoc est vinum, quod miscet sapientia inuitatis ad mensam suam, dum septem columnis subnixam sibi domum construxit. In hac domo, frater charissime, te habitare semper obsecro; illi te epulis pasci deprecor: huius te calicis mero inebriari exopto. Non vanas seculi pompas, non noxias corporis delectationes exsequi, quæ non proderunt ambulanti in eis: sed suos sequaces, in æternæ perditionis voragine demerserunt.

Tu verò, amor animæ meæ, si quid sordium ex his contraxisti, lacrymis laua pœnitentiæ, abluc, & vitæ meliori manu dele, memor tui, memorque mei; animam meam latificans, tuæ parcens. Quia salus tua, consolatio mea est. Noli patrem suam mercedem fraudare de te. Noli, filii nomen delere in te. Si pro te non vis, vel pro me fac. Si vel te non curas, & te negligis; DEVM time, dilige, honora. Ille est verus pater, ille redemptor, ille omnium largitor bonorum: suscita dormientem in deliciis animam.

Contra tres tibi quotidie pugnandum est inimicos: contra diabolum, contra seculum, contra carnem. Quomodo poteris securus dormire? Te verò dormiente, vigilant, qui te occidere quærunt. Quomodo non times flammam æternæ perditionis? Quid tu parui temporis hospes, patriam quæris in peregrinatione, & illam obliuisceris, in qua ciuis conscriptus es in baptismo? Cogita, quis pro te pendit in cruce. Huius latus lancea perforatum tuæ sanguinem redemptionis emanauit. Noli parvipendere precium tuæ salutis. Pro te traditus est, qui te fecit: imò omnium creator, ad redemptionis tuæ precium seipsum expendit.

Cur te ignobilem facis, nobilissimo emptus precio? Noli ex filio DEI, seruum facere diaboli. Quid pompatiscis carnem induis vestimentis, & ornamenta animæ non quæris? Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius: qui *Psal. 39.* non respicit in vanitates, & in sanias falsas.

Melius est, collo, sapientiæ monile suspendi, quàm serico vanitatis inuolui. Melius est castitate lumbos circumcingi, quàm numerosis pomparum cingulis constringi; & arduentes bonorum operû in manibus portare lucernas, quàm digitos anulis ostentationis radiare. Satius est pedes in Euangelium pacis expeditos esse, quàm longo fasciarum nexu ligari. Heu, quod corrumpitur, tanta diligentia ornatur; & quod permanet, tanta socordia negligitur? Illud, omni cura ornatur, pascitur, & vestitur; hoc, quasi vile subpellectile, nullo decore dignum ducitur? Terrenum colitur, & cœleste non curatur? DEI imago vilescit; & terræ species honoratur? Non ita, fili, non ita in te sit,

Tu

REGAN
SII
om, am,
SIV
24

*Ecli. 6.
Luc. 12.*

Ephes. 6.

Tu sacri altaris minister; tu summi honoris socius: sapientiæ vas: flos adolescentiæ; dignitatem tuam attende; & esto, quod nominaris. Cogita, corpus tuum in partem reuerti, & animam tuam ad iudicium rapi. Quia tunc esse cupiās, talem te nunc exhibe. Nunc, tempus est laborandi; tunc, remunerandi: nunc, promerendi; tunc, accipiendi. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Curre, dum lucem habes. Qui hodie es, cras non eris, dicit scriptura: Noli tardare conuerti ad Dominum, quia nescis quid futura pariet dies. Omnis gloria seculi, quasi fœni decidet. Arescit fœnum, & flos eius deperit.

Ioan. 12.

Eccli. 5.

Eccli. 14.

Eisai. 40.

Memento creatoris tui, antequam veniat tempus aduersionis. Pugnemus fortiter, & vincamus perniciousiter, ut coronemur feliciter. Illum habemus adiutorem, quem remuneratorem. Ille, prior hostem vicit, ut nos vincere possimus: triumphauit in cruce, ut nos regnemus in caelis: ad nos descendit in terram, ut nos ascendamus ad illum in celum: filius hominis factus est, ut nos filij DEI esse mereamur; cui laus, & gloria, in omnes æternitates, Amen.

EPISTOLA XXXIX.

Dilecto filio Ioseppo.

ALBINVS SALVTEM.

DOLEO de dolore corporis tui: sed gaudeo de felicitate animæ tuæ. Quia flagellat DEVS omnem filium, quem recipit. Occidit, & viuificat: vulnerat, & medetur. Spes præmij, solatium tibi sit laboris. Hi dolores cito finiuntur; præmia patientiæ nunquam. Non sunt condignæ passiões huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in sanctis. Quapropter cum gratiarum actione immola DEO sacrificium laudis. Non

Hebr. 12.

Iob. 5.

Rom. 8.

Psalm. 49.